1164 [= 1137] rep. in cryptis Aeclanensibus; extat Grottaminardae.

D · M

M · POMPONIO · M · FIL · M · N · M · PRON ·
M · ABN COR · BASSVLO ·
IIVIR · QQ ·

NE · MORE · PECORIS · OTIO · TRANSFVNGERE/
MENANDRI · PAVCAS VORTI SCITAS FABVL AS
ET IPSVS ETIAM · SEDVLO FINXI NOVAS
ID QVALE QVALEST CHARTIS MA/DATM bV
VERVM VEXATVS ANIMI CVRIS ANXIIS
urceus NON NVLLIS · ETIAM · CORPOI/////ORIBVS patera
VTRVMQVE VT ESSET · TAED/O///////A MODVM
OPTATAM MORTEM SVM POT/////// MIHI
SVO DE MORE CVNCTA Ↄ/II///AMINA ·
VOS IN SEPVLCHRO//IOCIICCI///CIDITE
QVOD SIT DOCIMENTO POST FO/Q/////IBVS
INMODICE NE QVIS VITAE SCOI/////REAT
CVM SIT PARATVS PORTVS EIAC//// IBVS
QVI NOS EXCIPIAT AD QVIE////////EM
SET IAM VALETE DONEC VI/////////IT
CANT · LONG · MARIT OPT · B · M · F

Descripsi chartaque madida ectypum sumpsi; recognoverunt deinde Brunnius Hirschfeldius Dressel. Edidit Guarini iter vag. mans. I p. 6; ipse edidi *Bull.* 1847 p. 94 et *Rhein. Mus. für Phil. N. F.* VI p. 139, cuius editorum alter F. Ritschl tractavit praeterea in ind. schol. Bonn. hib. a. 1847. Henzen n. 5605.

Supplementa, quae plus unam duasve litteras a numero quem deesse indicavi recedunt, omnia reicienda erunt. De lectione cum iam fere constet, haec tantum visa sunt notatu digna. — 9 CVI/IS /NXIIS Dressel, CV/IS /NXIIS ego. — 10 CORPOI/ Dressel, CORPO/ ego. — 11 TAED/O SNNN///AMODVM Dressel, firmans ita supplementum Lachmanni *taediosum ultra modum;* ego inter TAED et AMODVM nihil vidi, TAED/O dederunt Brunn et Hirschfeld. — 12 POT Brunn, PO Hirschf., PO vel PS Dressel, AS ego. 'Sum potitus: ea mihi: scripsit ita ἀρχαικῶς (cf. *ipsus* v. 7) pariter ac Gellius 13, 1, 5 de Elissa *quae mortem per vim potita est*' Buecheler. — 13 ut dedi Brunnius, dubitans tamen de elementis AMI, probante Hirschfeldio, CVNCTAS/III/I//N/NA· Dressel, CVNCTA ONII/////NA ego. — 14 *elogium oro incidite* quod proposuit Hauptius vestigiis eatenus recte convenit, ut ORO spatium non recipiat; C ante IDITE quam videre sibi visus est Brunnius reliqui non habent. 'Si fuit in lapide *hoc elogium incidite,* hiasse in caesura senarius statuendus est: quod quamvis mirer, non negabimus tamen fieri potuisse, quoniam res eadem in Ursi elogio certa est. itaque hiatus eiusmodi, quales Plautus noster sescentos habet, certe imperatorium aevum non reformidavit' Buecheler. — 15 F (vel E) O/Q (vel O) //////IBVS Brunn probante Hirschfeldio, III/////////NII/VS Dressel, I/////////SIBVS ego. 'Teneo Hauptianum *futuris omnibus,* nam *fo. q.*. his uti nescio' Buecheler. — 16 REAT Brunn probante Hirschfeldio, NEAT ego, EAT Dressel. 'Confirmari opinor quod ego proposueram *scopulis haereat*' Buecheler. — 17 FLAG*itanti*IBVS propositum a Ritschelio et Hauptio Brunnius comprobavit; PLAC/////II/VS Dressel, negans spatium illo supplementi satis expleri. 'Prorsus diffido Brunnianae lectioni: male enim quadrat in rem *flagitantibus.* verissime Lachmannus *eiaculantibus.* non active dici videntur qui vitam eiciant, sed neutrali forma, vi passiva qui se eiaculent (Gellius 16, 19, 21 de Arione: *se in salum eiaculavit*). pariter vehentes sunt qui vehuntur, exercentes qui se exercent' Buecheler. — 20 OII · D ·M·F Dressel, V·A·L·M·I ego, Q·V· AN·L·M·I Brunn, Q·V·AN·L·M·F Hirschf.

Abiectis supplementis Guarinianis iisque, quae ego fugitiva sane et ut ingenue fatear temeraria opera olim fuderam, in ed. exhibui quae temptaverant tres viri summae in his rebus auctoritatis, Fridericus Ritschelius in libello citato et a me rogati Mauritius Hauptius Carolusque Lachmannus. His poterunt adiungi quae temptavit Quicherat *revue archéologique* 11 (1854) p. 744 seq. Nuperrime retractavit Buecheler *specim. anth. epigr.* I n. 29, cui cum proposuissem apparatum auctum, secundis curis carmen iam ita constituit ut infra legitur sub nomine ipsius.

Ritschelius:

Ne more pecoris otio transfungerer,
Menandri paucas vorti scitas fabulas
et ipsus etiam sedulo finxi novas.
id, qualequale est, chartis mandatum diu
[vitae mi agundae delectamento fuit.]
verum vexatus animi curis anxiis,
non nullis etiam corporis doloribus,
utrumque ut esset taedio mi ultra modum,
optatam mortem sum aptus: quae dedit mihi
suo de more cuncta consolamina.
vos in sepulchro hoc ne quid oro laedite:
quod sit docimento, post fatales exitus
immodice ne quis vitae scopulos horreat,
cum sit paratus portus flagitantibus,
qui nos excipiat ad quietem perpetem.
set iam valete, donec vivere expedit.

Hauptius:

Ne more pecoris otio transfungerer,
Menandri paucas vorti scitas fabulas
et ipsus etiam sedulo finxi novas.
id qualequale est chartis mandatum diu.

verum vexatus animi curis anxiis,
non nullis etiam corporis doloribus,
utrumque ut esset taedio supra modum,
optatam mortem sum secutus, ut mihi
suo de more cuncta donaret bona.
vos in sepulchro hoc elogium oro incidite,
quod sit docimento post futuris omnibus,
inmodice ne quis vitae scopulos retineat,
cum sit paratus portus flagitantibus,
qui nos excipiat ad quietem perpetem.
set iam valete donec vivere expedit.

Lachmannus:

Ne more pecoris otio transfungerer,
Menandri paucas vorti scitas fabulas
et ipsus etiam sedulo finxi novas.
id qualequale est chartis mandatum diu.

verum vexatus animi curis anxiis,
non nullis etiam corporis doloribus,
utrumque ut esset taediosum ultra modum,
optatam mortem sum adsecutus: ea mihi
suo de more cuncta dat relevamina.
vos in sepulchro hoc dicier concedite;
quod sit docimento post futuris, maxsimus
inmodice ne quis vitae scopulus terreat,
cum sit paratus portus eiaculantibus,
qui nos excipiat ad quietem perpetem.
set iam valete donec vivere expedit.

Buecheler:

Ne more pecoris otio transfungerer,
Menandri paucas vorti scitas fabulas
et ipsus etiam sedulo finxi novas.
id quale qualest chartis mandatum diu.

verum vexatus animi curis anxiis,
non nullis etiam corporis doloribus,
utrumque ut esset taediosum ultra modum,
optatam mortem sum potitus. ea mihi
suo de more cuncta dat levamina.
vos in sepulchro hoc elogium incidite,
quod sit docimento post futuris omnibus,
inmodice ne quis vitae scopulis haereat,
cum sit paratus portus eiaculantibus,
qui nos excipiat ad quietem perpetem.
set iam valete, donec vivere expedit.

Vixisse Bassulum saeculo primo exeunte ex iis efficitur quae adnotavimus ad n. 1165. 'Traiani temporibus', Buecheler observat, 'etiam quae de 'comoediis Bassulus dixit bene conveniunt, nam Plinius ep. 6, 21 Vergilium Romanum laudat qui *scripsit comoedias Menandrum aliosque aetatis 'eiusdem aemulatus* Plautinis Terentianisque similes, Statius silv. 3, 5, 93 in Neapolitana scaena spectari ait *motus libertatemque Menandri quam 'Romanus honos et Graia licentia miscent.* hoc saeculum ut Menandrum mirifice praedicavit, ita in comoedia Romanos maxime claudicare doluit.'

1165 litteris aetatis labentis in operculo arcae longo m. 2, largo m. 0,65. Mirabellae in culina Vincentii Ferro.

D·M·M·POMP·BASSVLO COR · LONGINIANO·E·Q·R·L·L·AVVNCVLO · AMBIBOLVS·IVN

Recognovit Dressel. Descripsit O. Hirschfeld a. 1868, edidi in Hermae vol. 3 p. 465.

Uno versu inscriptio exarata est spatiis vacantibus et post BASSVLO (ubi hiatus litteram nullam intercepit teste Dresselio) et post COR et post AVVNCVLO et in fine. — Imae litterae omnes damnum passae sunt.

D(is) m(anibus) M. Pomp(onio) Bassulo Cor(nelia) Longiniano eq(uiti) R(omano) L(aurenti) L(avinati) avunculo Ambibolus iun(ior). Illum filium fuisse M. Pomponii M. f. M. n. M. abn. Cor. Bassuli poetae et Cantriae Longinae (supra n. 1164) probabile est. Longinam sacerdotem fuisse divae Iuliae Augustae Titi filiae consecratae imperante Domitiano c. a. 89 patefecit titulus n. 1153. Sororem M. Pomponii Bassuli Longiniani, quam et ipsam Pomponiam Longinam similiterve dictam fuisse probabile est, nupsisse Ambibolo cuidam seniori et ex eo peperisse Ambibolum iuniorem ex hoc titulo efficitur (cf. item n. 1212); neque improbabile hunc non diversum esse a L. Eggio L. f. Cor. Ambibulo Pomponio Longino Cassiano L. Maecio Postumo consule a. 126 (a. 1123. 1124). Haec si vera sunt, stemma efficitur hoc.

M. Pomponius M. f. M. n. M. pron. M. abn. Cor. Bassulus (n. 1164) — Cantria P. f. Longina (n. 1153. 1164)

- M. Pomponius Bassulus Cor. Longinianus (n. 1165)
- [Pomponia Longina] — [Ambibolus senior]
  - L. Eggius / f. Cor. Ambibulus Pom[ponius Lon]ginus Cassianus L. Maecius Postumus (n. 1123. 1124) = Ambibolus iunior (n. 1165).